

esse in Meridiano, ea illum nondum attigerat. Hinc pullulavit error ille, in quem valde proclive fuit labi, tum ob exiguum altitudinis stellæ circa ipsum Meridianum cremen- tum, tum Meridiana lineæ minus exactam designationem. Verū si stella in loco superiori habuit parallaxim 39 scrup. & in distantia 19 semidiametrorum à terra, ut vult Nolthius: certè in inferiori Meridiano oportebat illam fuisse triplo maiorem, aut amplius: quanta à nemine unquam, toto apparitionis stellæ tempore, deprehensa fuisse legitur. Neq; enim tanta differentia imperceptibilis esse potuisset: non solum his, qui organis adhibitis altitudines stellæ illius- que à reliquis distantias explorabant: sed etiam qui solo aspectu oculorum communiq; iudicio usi sunt. Nullo igitur modo parallaxis Nolthij admitti potest. Hæc ego libertate literata, nec temere, nec ullo insectandi studio, pro veritate proferre volui: quæ Nolthium, ubi hæc accuratius expenderit, rectè & candidè accepturum esse confido. Ego vicissim mea, & Nolthij & aliorum doctorum iudicio libenter subiicio.

Quomodo ex duabus meridianis altitudinibus explorari potuisset modernæ stellæ parallaxis. Cap. 6.

SI habuissem utramque meridianam altitudinem nostræ stellæ, facilius inde iudicare potuissem de parallaxi, haberetne aliquam aut nullam. Coniūxisssem utranq; altitudinem: cuius

I